

THESIS XXXI.

*Neque ex Scripturae testimoniosis aut ex indeole Novae Legis, quae est lex caritatis, neque ex auctoritate Augustini et Thomae, qui oppositum disertissime docet, neque ex ratione suaderi potest necessitas actus amoris Dei propter se super omnia in suscipiente Sacramentum Poenitentiae.*

I. Si ratio habetur testimoniorum, ad quae provocant adversarii (Deut. VI. 5. Ioh. II. 42. I.<sup>a</sup> Ioan. III. 14. 15. Rom. VIII. 14. I.<sup>a</sup> Cor. XIII. 3) manifestum est iis non persuaderi quod volunt adversarii. Nam illis docemur quidem 1) caritatis actum esse praeceptum, at non docemur praeceptum esse pro semper et pro susceptione quoque Sacramenti, quod ex se supplet efficaciam caritatis. Docemur 2) translatos esse a morte ad vitam h.e. vivere eos qui, diligunt fratres: at quaenam est vis nexus huius causalitatis: scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, *quoniam* diligimus fratres? Scilicet consequitur quidem quod si diligit, vivit: at si non diligit? ratione habita formae dialecticae haud sequitur quod non vivat; ratione autem habita materiae, de qua est sermo, cuius notitia aliunde petenda est, dicendum quod si non diligit actu et habitu, manet in morte; si vero non diligit actu, sed tamen habitu, hoc ipso habitu formaliter transfertur ad vitam, et eo perseverante vivit. Dispositio vero ad hunc habitum obtinendum non est necessario caritas actualis, neque id Iohannes docet. Non ergo docemur quod omnis translatio a morte ad vitam fiat per actualem caritatem. Docemur 3) eos, qui non diligunt, manere in morte; id vero non de solo defectu actus dilectionis accipi potest, nisi velis oportere sine ulla cessatione elicere semper actus amoris; sed vel de actu opposito vel de defectu habitualis dispositionis accipi debet, quod et nos fatemur: qui enim nondum habet caritatem habitualem, nondum vivit: at non docemur quod ad assequendum habitum caritatis per Sacramentum non sufficiat attritio. Docemur 4) conversionem peccatoris ad Deum debere esse ex toto corde: at duplex potest esse vis huius formulae *ex toto corde*, qua nempe significetur vel perfectio modi, quo fit conversio, vel perfectio eius effectus: ea est cum fit ex amore, haec est cum omnis affectus ad peccatum exuitur; porro haec etiam attritione obtinetur: non constat autem Deum requirere conversionem priorem pro suscipiendo Sacramento, quo voluit suppleri defectum dispositionum poenitentis ad iustificationem: imo in hac hypothesi constat oppositum. Docemur 5) eos esse filios Dei h.e. se gerere tanquam veros filios Dei, qui spiritu Dei aguntur, h.e. sinunt se agi a Spiritu Dei. Ceterum Spiritu Dei

aguntur quicumque interioribus inspirationibus morem gerunt, quod et attriti faciunt. Deinde si filii Dei sunt, qui spiritu inhabitante aguntur, non tamen filii Dei sunt ii solum, qui spiritu inhabitante aguntur: sed ii omnes, qui sinunt se duci a Spiritu Dei, vel filii Dei sunt vel evident filii Dei. Docemur 6) spiritum novi foederis non esse servitutis in timore, sed esse spiritum adoptionis filiorum, nempe terminus, in quem nos dicit oeconomia novi foederis sanctificans, est adoptio filiorum, cuius spiritum accipimus cum sanctificamur: at non docemur ab hac oeconomia excludi timorem servilem, nec docemur quod ad adoptionem perveniat sola caritate. Docemur 7) quod, si caritas desit, nihil prodest, nempe ad vitam aeternam; non vero quod ad iustificationem sive ipsam caritatem obtinendum nihil alii actus prosint. Sane verificaturne in suscipiente gratiam Sacramenti, quod caritas desit necessaria ad salutem? Ergo ad eum non spectant verba Apostoli.

II. Indoles vero novae legis, quae est lex caritatis, exigit quidem ut caritas sit donum proprium oeconomiae et quod vita, quam vivunt homines in hoc foedere, sit vita caritatis; non vero exigit quod ad obtinendum hoc donum et assequendam hanc vitam non possit per timorem perveniri. Imo indoles huius foederis, cuius propria est sanctificatio interior, postulat ut ritus habeat ex opere operato sanctificantes, qui proinde non requirant in poenitente eam dispositionem, quae per se est sanctificans.

III. Arguunt ex Augustino, cuis duo potissima testimonia proferuntur. Tract. V in I. Epist. Ioan. « Certe iam manifestum est, unde dicat: « et qui non diligit fratrem suum ». *Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei et filios diaboli*. Signent se omnes signo Crucis Christi, respondeant omnes Amen, cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent omnes ecclesias, faciant parietes basilicarum: *non discernuntur filii Dei a filiis Diaboli nisi caritate*: qui habent caritatem nati sunt ex Deo; qui non habent, non nati sunt ex Deo ». Ergo et poenitens sine caritate non poterit cum Sacramento quoque discerni a filiis Diaboli, sive reconciliari Deo.

Respondeo: Augustini sententia haec est: cum omnia opera exteriora, ipsaque Sacraenta, vel Sacramentorum susceptio possint esse seiuncta ab interiori iustitia malumque in finem usurpari, nullum ex his per se discernit filios Dei a filiis Diaboli; discernunt vero quatenus coniuncta sunt cum interiori iustitia seu caritate, quae per se satis est ad discernendum, cum ipsa sit, quae efficiat filios Dei. Unde et Sacraenta discernunt quatenus conferunt gratiam et sanctitatem. Porro caritas, quam Augustinus discernere dicit, non est sola caritas actualis: imo neque haec est ea, quam praecipue spe-

ctat. Sane 1) an iuxta Augustinum infantes baptizati non sunt filii Dei ? an filiatio eorum alia est formaliter a filiatione adulorum ? et tamen in illis nulla est caritas actualis, docente ipso Augustino. 2) Discretio, quam hic Augustinus tribuit caritati, est discretio *formalis et permanens*: discretio formalis; quia caritas est id quo exsistente homines sunt filii Dei et discernuntur a malis tanquam per differentiam propriam: discretio permanens; quia filiatio adoptiva est status permanentis. Atqui caritas, quae formaliter et permanenter discernit, est caritas habitualis, est interior iustitia et sanctitas habitualiter manens, quae per actus deinde manifestatur. Attritus ergo obtinens ope Sacramenti caritatem, discernitur per eam a malis; sed ad hanc discretionem pervenit mediante timore et Sacramento.

Serm. VII De tempore. « Videte qualis debet esse poenitentia ; quia multi assidue se dicunt esse peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio, accusatur anima, non sanatur. Pronunciatur offensa, non tollitur. *Poenitentiam certam non facit nisi odium peccati et amor Dei* ». Cum ergo et in Sacramento debeat esse certa poenitentia atque de poenitentia in Sacramento satis significet Augustinus se loqui, cum ait: *accusatur, pronunciatur* offensa: idcirco et in Sacramento requiritur poenitentia, quam faciat amor Dei.

Respondeo primo sermonem istum abiudicari Augustino a Maurinis, quibus stylus potius sapit Caesarium Arelatensem: in quodam autem vaticano codice inscribitur Theodulpho episc. aurelianensi. Hoc posito dico: Odium peccati et amor Dei, quem auctor exposcit in poenitentia certa, reperitur quantum satis est in attritione. Ita enim pergit auctor declarare sententiam suam: « Quando sic poenites ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum et dicis: tibi soli peccavi et malum coram te feci... da Domine misericordiam misero, qui tamdiu percisti criminoso... dic illi in fletu cordis... desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro, dele numerositatem criminum multitudine misericordiarum. *Ista est filioli vera poenitentia*, quando sic convertitur quis ut non revertatur, quando sic poenitet ut non repeatat ».

Scilicet vel nomine *certae poenitentiae* intelligit auctor eam, quae ne dum vera est, cum fit, sed et deinceps stabilis perseverat, quae nempe conductit ad finem h. e. salutem aeternam, pro qua suscipitur (secundum quem sensum accipiunt quidam definitionem illam poenitentiae: *Vera poenitentia est peccata praeterita plangere et plangenda non committere*); et tunc facile concedimus quod ad sta-

bilitatem et perseverantiam animi poenitentis amor Dei requiritur, sicut requiritur observatio praceptorum, inter quae est quoque praeceptum amoris Dei. Verum si ita accipiat, testimonium ad rem non facit; nam nunc agimus non de poenitentia actu perseverante, quae coniungatur cum salute, sed de ea poenitentia, quae sufficiens sit ad reconciliationem: neque audiendi sunt, qui dicant falsam vel nullam fuisse poenitentiam eorum, qui postea labuntur (III. p. q. LXXXIV. a. 10. ad 4.º).

Si autem *certa poenitentia* intelligatur, quae secundum essentiam suam vera est et sufficiens pro iustificatione obtainenda, liquet etiam in attritione esse *odium peccati*, ut iam probavimus, esse quoque amorem Dei, non quidem formalem sed virtualem, illum tamen, quo fiat satis iis, quae hic auctor iste postulat, ut nempe ingemiscat homo ad Deum, ad Deum tanquam medicum currat et ita convertatur ad ipsum, ut nolit amplius reverti, et repetere offensas divinas: ergo.

IV. Arguant etiam ex s. Thoma. Testimonia eius quaedam recitantur ex III p. qq. LXXXV. et VI. in quibus de poenitentia perfecta loquitur, sive de iustificatione ex opere operantis: quae idcirco ad rem non faciunt. Neque magis valet quod ait ibid. q. LXXXIII. a. 5. ad 2.º « Requirit enim caritas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa », id enim eo spectat ut probet ad remissionem obtainendam non sufficere caritatem, sed requiri actum virtutis poenitentiae, ideoque et in Sacramento, si sit caritas, postulari tamen practerea detestationem peccati.

Quod vero proferunt ex LIV. cont. Gent. c. 72. contra eos facit. Nam primo loco ait S. Doctor quod « primum quod in poenitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum et avertatur a peccato dolens de commisso et proponens non committendum, quod est de ratione contritionis. Haec vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest; nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine caritate, caritas autem haberi non potest sine gratia, ut patet ex iis quae in III. libro c. 151. dicta sunt (probavit autem ibi gratiam facientem causare dilectionem Dei) Sic igitur per contritionem et offensa Dei tollitur et a reatu poenae aeternae liberatur. » Iam vero ex his liquet Thomam loqui de contritione, quae per se iustificet. Deinde vero in fine capituli ait « nihil prohibet quin aliquando virtute clavum alicui confessio ipsa absolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur. » Quae est gratia prima, quam a secunda distinguit, de qua in immediate praecedentibus locutus est. Porro in huiusmodi confessio s. Doctor non supponit caritatem ante absolutionem, si enim prius ex existen-

tia caritatis colligit existentiam gratiae sanctificantis, heic quoque supposita caritate inferendum reliquisset quod ea gratia sit: at tunc falsum esse quod per absolutionem conferatur *gratia, per quam culpa dimittitur.*

Multo minus favebat adversariis doctrina eiusdem Doctoris II.<sup>o</sup> II.<sup>o</sup> q. XXIII. a. 7. quod « nulla vera virtus potest esse sine caritate », vera enim virtus ea est, cuius actus meritum condignum habet ad vitam aeternam.

Tandem ex Comm. in 4. D. XVII. q. III. a. 4. ql. 1.<sup>o</sup> ea verba producunt « confessio non valet sine caritate. » Hic autem est textus Doctoris « Confessio est actus virtutis et est pars Sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, *est actus meritorius proprius*, et sic confessio non valet sine caritate, quae est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat consitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Ecclesiae, qui per confessionem conscientiam consitentis cognoscit. Et secundum hoc confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus; quia potest peccata sua pandere Sacerdoti et clavibus Ecclesiae se subiicere: et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui factus accedit. »

Respondeo, s. Thomam non affirmare id ex se ipso quod talis non contritus non percipiat absolutionis fructum. Quomodo enim id affirmaret, cuius oppositum eadem D. XVII. q. III. a. 5. ql. 1.<sup>o</sup> immediate sequente docuit: scilicet « quia in Sacramento poenitentiae gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismo, ideo eodem modo confessio ex vi absolutionis coniunctae remittit culpam sicut baptismus; liberat enim baptismus a morte peccati non solum secundum quod actu accipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur.... et si aliquis impedimentum non praestaret, ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius sibi remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de confessione, adianeta absolutione, quod secundum quod in voto poenitentis praecessit, a culpa liberavit; postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia augetur: et etiam *remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens fuisset ad contritionem*, et ipse tunc obicem non poneret. » Non potuit ergo id in art. praeced. negare quod hic affirmat. Loquitur ergo s. Thomas in eo art. 4. secundum sententiam aliorum, puta Magistri, quem interpretatur et loquitur proinde hypothetice vultque dicere quod etiamsi, ut quidam putant, tunc non percipiat absolutionis fructum, percipiet tamen postea, recedente fictione, quin teneatur

rursus confessionem repetere; ideoque confessionem saltem fuisse validam, qua de re tantum disputat in hoc loco.

Ex dictis patent duo: primum, s. Thomam non favere adversariis, alterum, docere eundem sententiam nostram. Quod quidem rursus demonstrari potest ex eo quod s. Doctor doceat quod eodem modo sit efficax absolutio cum confessione ad remittenda peccata, sicut est baptismus, ut habes ex praecedent. et ex q. 1. a 3. ql. 1.<sup>o</sup> D. XVIII. « Baptismus et poenitentia convenient quodammodo in effectu; quia utrumque contra culpam ordinatur directe, quod non est de aliis Sacramentis. » Atqui certa est sententia Thomae quod ad baptismi effectum recipiendum non requiratur contritio, sed sufficiat attritio in 4.<sup>o</sup> D. VI. q. 1. a. 3. ql. 1. ad 5.<sup>o</sup> « Certa intentio requiritur ad consequendam rem sacramenti. Fides autem intentionem dirigit, et sine ea non potest esse praecipue in talibus intentio recta. Sed caritas ulterius facit intentionem meritoriam. Et ideo ad hoc quod homo praeparet se ad gratiam in baptismo percipiendam praexigitur fides, sed non caritas; quia sufficit dispositio praecedens et si non sit contritio ».

V. Arguant ex ratione. Conversio poenitentis debet opponi aver-sioni, quae facta est per peccatum a Deo, haec vero in eo fuit quod praeferreretur creatura Deo; ergo ea debet esse talis, ut praferat Deum omnibus, quod fieri nequit nisi per caritatem.

Rursus: qui ad Deum non convertitur ut ultimum *finem cui*, non ad Deum reapse, sed ad se convertitur; atqui oportet veram esse conversionem: ea autem non est nisi per amorem. Ergo.

Ad 1. Peccator praefert creaturam Deo, non quatenus existimet maius esse bonum creatum bono divino, imo e contrario, si posset, vellet utrumque consequi seque felicissimum ita putaret, sed quatenus vult nunc facere id potius quod sibi quam quod Deo placet; ex quo consequitur, quamvis id directe non intendat, quod possidens bonum creatum amittat Deum. iam vero actus oppositus illi praelationi is est, ut velit homo placere Deo plusquam sibi atque eius semper exsequi voluntatem ac sic praferre Deum omnibus rebus, quae concurrere possunt cum peccato hominemque ad peccandum allucere, qua custodita voluntate consequitur possessio Dei. Id vero etiam in attritione locum habet.

Ad 2.<sup>o</sup> Conversio ad Deum *finem cui* potest esse *formalis et obiectiva*. *Formalis* cum bonitas Dei in se est ratio conversionis: *obiectiva* cum bonitas Dei in se est terminus ultimus actus, quae excludit conversionem hominis ad se *finem ultimum cui*, quae sola est mala. Prior non est necessaria ut actus sit bonus aut ut excludat voluntatem peccati. Altera reperitur certe in voluntate faciendi

quod Deo placet. Praeterea in attritione cum spe veniae est conversio ad Deum *finem nostrum qui*; quae est vera conversio formalis ad Deum.

In attritione ergo licet non sit perfectissima conversio ad Deum, est tamen vera et sancta conversio; quod sufficit.

Ex his 3) patere etiam potest responsio ad argumentum Dominici Soto in 4. D. XVII, q. 3. a. 2. nimirum conversionem debere esse talem, qua amicitia resarcitur; ad amicitiam autem resarcendam requiritur poenitentia offensae amico illatae. Arguit enim Soto ex eo quod inter homines usuvenit, qui amicitiam non restituunt offensori, nisi offensori offensa displiceat propter amorem amici offensi, ideoque nisi diligit. Verum advertere poterat insignis theologus huiusmodi argumentum valere pro reconciliatione obtainenda per opus operantis, sicut contingere solet inter homines; quamvis identidem et inter eos, si opus aliquod ponatur, quod non sit quidem actus amoris amicitiae erga offensum, sed tamen opus tale, quo satis retractetur offensa et ad quod sponte deinceps sequetur amor, ut si qui offensi filiam in sponsam petit et accipit, amicitia ab offenso offensori restituitur, quam ipsa admissio in familiam exigere videtur. Cum itaque in nova lege, gratia, quae est amicitia ad Deum, possit opere operato obtineri, satis est ea dispositio qua quis vere, licet nondum perfecte, convertatur ad Deum velitque divinam amicitiam; quamvis ad hoc nondum moveatur ex amore Dei.

Hoc ergo in hac materia tenendum est, quod ex natura Sacramenti dependet: nimirum, quandoquidem Deus voluit redintegrari amicitiam suam ope Sacramenti, hoc autem ad effectum producendum requirit tantum remotionem obicis; id exigi debet pro reconcilianda amicitia divina per Sacramentum, quod necessarium est pro removendo obice; hic porro obex est peccatum non retractatum, hunc autem obicem vel sola attrito ex timore servili excludit; ergo.

#### COROLLARIUM

Ex disputatis sequitur quod neque actus aliquis formalis caritatis, qui sit initialis amor Dei propter se quidem sed non super omnia (p. 280.), necessarius est ut attrito proxime disponat in Sacramento Poenitentiae. Sane id constat 1. ex hactenus demonstratis. Probatum est enim non solum caritatem non requiri, sed directe attritionem caritatem expertem esse dispositionem sufficientem in Sacramento: idque ex Tridentino atque ex communi consensu Scholae ante Tridentinum ostensum est; ergo neque initialis amor perfectae caritatis neque amor concupiscentiae postulatur.

2. Et sane, quoniam, ut iam probavimus, ope Sacramenti ex opere operato reconciliatio hominis cum Deo obtainetur, id tantum postulari potest pro effectu Sacramenti obtainendo, quod removeat obicem gratiae impetrandaes; id autem, quod removet obicem, est poenitentia positive excludens voluntatem peccati; talis autem est vel sola attrito ex metu gehennae concepta: ergo ea sufficit, nec aliud exigi potest, si propria Sacramenti efficacia integra manere debet.

3. Initialis amor perfectae caritatis, qui sit quidem amor Dei propter se, sed non super omnia, nulla est ratio cur exigatur. Non enim ut excludatur voluntas peccati, quia, cum non sit amor super omnia, non liquet cur eam excludat, atque ad hanc exclusionem sufficit timor: non ut habeatur vera conversio hominis ad Deum; nam conversio vera et perfecta, quae per se reconciliet, neque necessaria est, neque per ipsum habetur: conversio autem vera, sed imperfecta satis habetur per simplicem attritionem (Th. praec. V.); nec exigi potest tanquam dispositio necessaria ad amicitiam cum Deo reconciliandam; nam id quidem postulari potest cum reconciliatio facienda est ex opere operantis, non vero cum efficienda est ex opere operato (cf. l. c.), quod solam remotionem obicis requirit Ergo huiusmodi initialis amor necessarius non est.

Non est ergo necesse ut in poenitente attrito excitetur virtute absolutionis aliquis actus amoris, quo eius attrito evadat contritio, ut sic dispositus proxime existat ad effectum absolutionis. Neque huiusmodi efficacia absolutionis ad hunc actum excitandum probari potest, cum, ceteris omissis, frequentissime in vere attritis desit.

#### THESIS XXXII.

*Falsum prorsus est sententiam sufficientiae attritionis ex metu servili in Sacramento fuisse ante Concilium Tridentinum in Ecclesia inauditam, eamque post Concilium efflorescere cepisse. Imo certe e contrario affirmari potest doctrinam, quam adversarii defendunt, quemadmodum ab illis proponitur, non esse antiquam, nec sua origine admodum commendari.*

I. Ait Ioannes Morinus Opusc. De Contrit. et Attrib. c. 1. nomen *Attribitio* circa annum Christi MCCXXX. in Scholis audiri cepisse primosque citat, qui hoc nomen celebre fecerint, Alensem, Albertum M. et Guillelmum Parisiensem. Sed ante hos B. Alanus Magnus in suis Regulis theologicis, reg. 85. « ea voce iterum et tertio utitur (verba sunt Ioannis Aloisii Mingarelli editoris), neque vero ipsa, ut nova quadam et a se primum excogitata dictione, sed ut ea, quae theologis nota esset, videtur uti. » Defunctus est vero Ala-